



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Meditationes Rerum Divinarum In Psalmos  
Quindecim**

**Hillesheim, Ludwig**

**Coloniae, 1572**

**VD16 H 3683**

144 Exaltabote Deus.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-60352](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-60352)

*ptus à terra ac redditus tibi Deo seruatori  
meo in perpetuum viuam.*

*Meditationis in Psalmum  
CXXIX. finis.*

ARGVMENTVM PSAL  
mi CXLIII.

Ea omni consilio agenda constitu-  
endaq; sunt, quibus Dei maximè nomen  
& gloria augeatur, cum ipsius potentia  
ac regni grata prædicatione, qui ater-  
næ salutis via omnibus credentibus, &  
electis aperta, eos tuetur, & fructu cœ-  
lestium bonorum pascit, vt in perpetu-  
um viuant.

MEDITATIO IN PSAL  
mum CXLIII. iuxta  
Hebræos CXLV.

*Summans*

**S**ummam & immensam maiestatis  
 diuinae vim, etsi omnia testentur, &  
 animus humanus eius pulcherrimam  
 faciem ex consideratione vniuersi elucen-  
 tem intueatur, inhaerescunt tamen in ani-  
 mis vitiorum & errorum nebulae tanta, om-  
 nia vt mortalia in consideratione ponan-  
 tur, nec ad intelligentiam nostram sempiter-  
 nam rerum cognitio referatur. Magna  
 est enim in hac deprauatione natura affe-  
 ctionumque impulsu vis, quae animu trans-  
 ferat ad praesentia atque terrena, vt pexigua  
 pars meditationi reru coelestium relinqua-  
 tur. Ita maior pars hominum incitata ani-  
 moru contentione ea sequitur, quae utilitatis  
 in vita comendatione imperitoru opinioes  
 et stultitia habent, opes, delicias, honores,  
 quam grata enim multis hac esse existima-  
 mus? cum oes sensus ad ea percipienda inte-  
 dant, illis foelicitatem sua ornamenta &  
 subsidia metiantur? Cum ergo caduca se-  
 quantur, aeterna relinquunt, auertuntque se  
 a societate diuina, & illam in animis  
 signat. m

Genes. 3.

signatam similitudinem formamque cœlestem exuunt. Quemadmodum enim ille serpens deceptor hominum, vt Deusei est imprecatus, super pectus graditur, & terra ac puluere vescitur: sic & illi in humū proiecti, nunquam pectora ad cœlum attollunt, terra vescuntur, ducisque in eo sui malignitatem sequuntur. Indigna igitur homine, & contra rationem, & infra aliarum animantium sensum ista cupiditas est, quam qui sequuntur, durissimas sibi in omni statu & conditione vitæ partes imponunt. Ab hoc enim fonte profluentem omnium malorum grauitatem sentimus. Quis non enim cum vim incredibilem malorum, quæ in hæc tempora inundant, videt, non flagrantem & exardescētem iram offensamque Dei sentit? qui grauius & horrendè vindicat, cum ex gubernatione vniuersi, & operum cœlestium magnitudine, cognoscitur Deus esse, tamen sui metum atque religionem in hominibus non inuenit. Verum hac salutari ac diu-

na consideratione, omnium seculorum iu-  
sti homines bene vtuntur, eamq<sup>3</sup> inter mi-  
serias diurnas vitæ ac rerum, concipiunt  
spem, vt Deum supplices in omni vita ve-  
nerati, eiusq<sup>3</sup> promissis fidentes, inanium  
& fluxarum rerum consecrationem, ex  
animo prorsus dimittant. Ex eo mirifica  
exoritur tranquillitas mentis, libera ab  
ijs angustijs in quas se conijciunt homi-  
nes à Deo auersi. Confirmatur enim spes  
bonorum spiritu diuino, nunquam vt eos  
sanctissimi instituti pœniteat, cum se intel-  
ligant Deo curæ esse, cuius imperium &  
voluntatem sequuntur, eoq<sup>ue</sup> magno ani-  
mo summa omnia ex eius omnipotentia  
& clementia expectant. Hæc fiducia om-  
nes animi & corporis molestias exuperat  
ac delet, incenso studio ex consideratione  
assidua rerum, quæ diuinitus fiunt, qua-  
rum ipsi notionem ac causas, quantum  
fas est, ad se confirmandum conferunt.  
Amplectamur ergò hanc diuinitus im-  
pressam rationem, inq<sup>3</sup> ea fœlicitatis sem-  
piter-

piterna fundamenta posita & defixa esse  
sentiamus. Non nos de mentis statu, deq;  
salute, inanes atque falsa, & momento e-  
uanescentium rerum cura auertant, sem-  
per illa cogitatio in mente versetur, malo-  
rum in illis summum esse, cui tum demum  
sed serò fides erit apud eos, qui indomitis  
animi cupiditatibus, vitijs & flagitijs om-  
nibus dediti, diuina neglexerunt, & hu-  
mana secuti sunt, cum illis prorsus orbati  
& vita exuti, ad Dei iudicium sistentur,  
cum pudore, cumq; tremore & terrore  
summo: tum & inania sua vota, & falla-  
cem spem serò expendent, nec quò se ver-  
tant habebunt, momentanea felicitatis  
disiecto, & euanescente fumo, sua ipsorum  
vanitate perculsi & afflicti, qua se à Deo  
auerterunt. Sed ò spem iustorum summã,  
qui expertes tantorum malorum erunt,  
quorum innocentia nulla ruina, sed con-  
tinuata in sempiternum, & DEI veri-  
tate fundata gloria erit. Hac ego co-  
gitatione inuitatus, dimisis ex animo  
curis

curis omnibus humanis, ac desiderio cœ-  
lestium rerum ardens,

Extollam,

Exaltabo te Deus meus rex, *euch. am*  
& benedicam nomini tuo  
in seculum, & in seculum  
seculi.

**Q** Vanquàm enim ad te Deum, ac regē  
sempiternum, & cuius gloria domi-  
cilium nullis terrarum ac rerum fini-  
bus terminatur laudandum, nulla satis  
oratio sit, tamen pro conditione mea mor-  
talitatis, gloriosi nominis tui maguitu-  
dinem veneratus, ad eam celebrandam  
omnem animi & corporis facultatem im-  
pendam. Cùm enim omnia abs te diuinè  
constituta sint, prouidentia quæ cœlesti ad  
omnium salutem, benignitate tua ac do-  
no referantur, iure ad omnem perpetui-  
tatem, non memoriam solùm sanctissi-  
mi nominis tui retinemus, sed & de-  
minatam aterna beneficij recordatio-  
ne predicamus, reddita & recuperata  
salu

salute sempiterna, tūm, cūm miseratus es  
sum conditionemq̄ nostram, potentiam  
ad nos liberandos tuam misso filio conuer-  
tisti. Superet igitur apud nos vera illa &  
solida ratio, vt vita ad tuam voluntatem  
accommodata, & motibus prauis animi  
compressis, ad nomen tuum laudandum  
omnia referantur. Qui desideria roxias-  
q̄ perturbationes sequūtur, quos torquet  
cupiditas, inflammat libido, non extollūt  
te, nomenq̄ tuum, sed contumelia & iniu-  
ria afficiunt, quam vanam omnem pieta-  
tis rationem, alienatis abs te animis esse  
putent, & ea solūm efferant, quibus male  
affecti se dediderunt, ac diuina iura pollu-  
erunt. Quamobrem nos illud sequemur,  
quod in omni ratione summum atq̄ ma-  
ximum existit, vt omnem vera gloria ac  
potentie laudem nomini tuo tribuamus.  
Hac ego debita officij ratione te, qui meus  
es Deus ac rex extollam, collata abs te sa-  
lute latus, qui in te sp̄e habentes seruas, &  
qui sempiterni tui imperij maiestate &  
gloria



gloria omnia implet. Hanc tuam subli-  
mitatem, tuarum manuum facta, con-  
templans,

Omni tem

Per singulos dies benedicā *pore.*  
tibi, & laudabo nomen tu- *Sempiter -*  
um in seculum, & in secu- *nis tēporib.*  
lum seculi.

**A**C laudabo sanè, te nomenquè tuum  
Deus aeternae, cuius gloria pleni sunt  
caeli & terra, cuius sanctissimum est &  
mirandum numen, qui meus es defensor,  
mea fiducia, spesq; vnica mea in terra vi-  
uentium. Cùm enim magnitudinem &  
benignitatem intueor tuam, abstrusa ra-  
tione omnia potenter gubernantem, tuos  
q; omnibus momentis ab iniuria vitæ, &  
calamitatibus, quæ continenter imminet,  
& quibus ceu alto iactantur mari, seruã  
tem, certè ea consideratio permouere ani-  
mum meum debet, vt quod vnum possum,  
semper atq; indies, nullo puncto temporis  
intermissote celebrem, deum cœlestem om-  
niū

nium rerum maximum ac Dominum, in cuius tutela est orbis terrarum. Magna certe incommoda & assidue calamitates sunt, in quibus versamur, quarum gravitatem iniquitas adauget, at tu mala omnia nostra, manu diluis tua, vt iure pro eo omnis clementie tue gratia debeatur, quae cum maiestati numinis tui digna referri non possit, illud agam, vt agnoscantia beneficiorum caelestium nunquam tuis laudibus desim. itaque sublato in caelum animo ac vultu, iura omnia officij tribuam nomni tuo, ac dicam:

*Generatio  
generatio-  
ni laudabit  
opera tua.  
Annuncia-  
bu: tuae glo-  
riose maie-  
statis deco-  
rem.*

Magnus dominus & laudabilis nimis, & magnitudinis eius non est finis.

Generatio & generatio laudabunt opera tua, & potentiam tuam pronuntiabunt.

Magnificentiam gloriae sanctitatis tuae loquentur, & mirabilia tua narrabunt.

Et virtutem terribilium tu- *Et ego mag*  
 orum dicent, & maguitu- *nitudinem*  
 dinem tuam narrabunt. *tuam nar-*  
 Memoriam abundantiae suarabo.  
 uitatis tuae eructabunt, & iu *Iustitiam*  
 stitia tua exultabunt. *tuam.*

Quam ingens enim ac firmum, &  
 sempiterna fide plenum testimoni-  
 um tuae magnitudinis diuina, ex cōtem-  
 platione mundi est? qui sapientia summa,  
 consilioq; diuino effectus, certa lege & or-  
 dine aequabili admirabilibus causis guber-  
 natur atq; constat, accommodata ad per-  
 petuam conseruationem potentia & boni-  
 tate, tanti numinis tui, vt caelo, terra, ma-  
 ri, & vndiq; inter mutationes vicissitudi-  
 nesque statas temporum ac rerum, ani-  
 mantium & hominum vitis & cōmodis  
 consulatur? Quae tanta feritas esse potest?  
 quam non illa admiranda species permo-  
 uere queat? ad te colendum, qui auctor  
 tanto-

tantum operum ac bonorum hominum culpa sua mortali, eorum omnium fructum benignè es elargitus, quem hominem initio immortalem feceras, imagine tua formaque diuina, quam ipsius corruptam scelere, & horrenda labe infectam, pietate & charitate ad omnem aeternitatem predicanda restituiisti. Interea autem dum imperio & autoritate tua, omnia haec in vniuerso stabunt ad eum, quem nutu tuo conuellentur, & iterum in nihilum redigentur diem, summa tua potestas bonos tuetur, malorum delicta punit, ut meritis omnes boni sibi gratulari, mali vero exhorrescere vim diuinam, eaque ad respicientiam inuitari possint, cum eam diuinitatis tuae magnitudinem, perenni atque iusta lege constare agnoscunt. Non enim momentanea nec ullis seculis interrupta omnipotentia aut beneficentia tua ratio est, iustitia & clementia sempiterna continentur. In quam non enim aetatem, in quos seculorum decursus non incidunt ea, qua  
non

nō omnibus admirationi sint, & potentia  
tuā testetur? Ipsi quidē homines imi atq;  
summi, inter admirabiles cōuersiōes rerū,  
uiuunt & occidūt, oriuntur & intereunt,  
succedentibus semper alijs: sēpē inopinatis  
in vita casibus perturbātur, colligūt se ite-  
rū et recreantur. Ac quū earū cōuersiōnū  
ratio, malis ignota sit, falsē de illis iudicāt  
& à vero abducti, rerū diuinarū cognitio-  
nē ad animum nō admittunt. Ita q̄ illi nō  
potentiā diuinā continentē omnia, nō glo-  
ria cœlestis decorē, aut mirabilia, aut ter-  
ribiliū operum, aut benignitatis, aut iusti-  
tia vim agnoscunt ac prædicāt, temerē flu-  
ere omnia, nec ad hoīes venire à Deo pu-  
tant, quamobrē ea sectantur, quæ Deū nō  
videre impiē sentiūt & optant. Sed genera-  
tio est iustorū, qui depulsa ab animo tā te-  
tra caligine, magnitudinē tuā agnoscūt,  
non illi mortalia ac terrena, sed diuina et  
cœlestia & sempiterna laudāt, ineffabili  
magnificētia tuā gloria, decore summo, bo-  
nitate eximia, ac iustitia terribili ipsos cō-  
P seruā

seruante, & omnia eorum facta mirabile  
 sorte recte censente, quod quidem ipsi optabile  
 est atque iucundum. Cum enim diuinitati  
 tuae omnes suas curas, desideria, cogita-  
 tionesque intimas, notas & apertas esse op-  
 tent ac sciant, non iustitia tua terretur, sed  
 clementia fidunt, ac certo statuunt futurum,  
 ut eos benigne respicias, et mala ipsorum mi-  
 tiges, quod quidem ipsis adeo plene contingit,  
 ut in ipsorum familijs ac rebus, sempiternum  
 eius testimoniū extet. Ex quo intelligi de-  
 bet, quum iusti multis in hac vita arumnis  
 afficiantur, eos ab constantia gradu non so-  
 lum non deijci, sed semper tuorum rectorum  
 iudiciorum vim agnoscere, ac nihil tam eis  
 persuasum esse, quam omnibus eorum rebus  
 misericordiam interuenire tuam. Hac & fide-  
 cia et sanctitatis plena consideratio est, ac  
 spes bonorum, in hac misera ratione vita con-  
 firmat, ut quo maiores eorum sint aru-  
 nae, eo magis ad nominis tui laudem atque cul-  
 tum accendantur, eoque illis non sine magna  
 mercede contingit, ut quanquam ipsi in hac  
 deprava-

deprauatione natura omni momento delinquāt, tamen in vita sentiant, quod clemens et  
 Misericors & misericors domini miserator  
 nus, patiens, et multū misericors. Dominus  
 Suavis dominus vniuersis, & tardus ad  
 miserationes eius super omnia iram.  
 opera eius. Bonus Do-  
 minus vni-  
 uersis.

**R**ecordari miserationum tuarū deus,  
 & felicitatis humani generis libet,  
 concesso omnibus aditu ad clementiā tuā,  
 quod nisi fieret, quā extremē infelices  
 nos, quos nunquā aut timor nominis tui,  
 aut imminentis iustae poenae metus, à deli-  
 ctis absterret. Si enim damnamur iudicio  
 nostro, cōscientiāq; accusamur, quomodo  
 ad diuinū tuū subsistemus tribunal? à quo  
 non nos cælum, nō terra, non mare, nō in-  
 feri, aut vllae abyssorū latebra subtrahent,  
 vt nulla vnquā occultandi peccati spes esse  
 possit. Itaq; ad tuū mite ac placabile numē  
 venerandū, iusti homines accurrūt, vt mi-  
 serationis tuae interuentu saluentur. Hæc  
 enim superior omnibus est. & operū tuorū  
 P 2 ampli-

amplitudinē sua magnitudine exuperat.  
 Interea autē sic vitam instituunt, nō vt eis  
 dominetur peccatū, cui in mortali corpore  
 obnoxij sunt, & quod eis inheret, sed vt  
 ex animo legi pareant diuina. Deoq; obe-  
 diant. Vnde omni à Deo inducta consolati-  
 ōe, qua cœleste eis auxiliū adesse testetur,  
 ipsius misericordia & gratia sustentur  
 vt mortui peccato, viuāt Deo in sempiter-  
 nū. Hæc clementia tua gloria, vt ornatior  
 & vniuerso orbi terrarum illustrior fiat,

Confiteantur tibi Domine  
 omnia opera tua, & sancti tui  
 benedicant tibi.

**C**um enim sempiterna lege ordineque  
 admirando omnia diuinē ac benignē  
 regantur, conseruationem suā & gloriā ti-  
 bi summo auctori, parentiq; suo acceptā fe-  
 runt, & omnipotentiā tuam vndiq; se pfe-  
 rentē agnoscunt. Itaq; omnis rerū natura  
 que in cœlo est & in terra, & sub terra, et  
 in mari, magnitudinē testatur tuam, et  
 sancti



sancti tui Domine, qui religiosè viuendo se tibi quasi in seruitutē dicarunt, ad tuas laudes conuersi, gratiam tuam sempiterni nominis tui, & maiestatis grata veneratione semper celebrant. Nunquam enim intermisso sanctissimo instituto vita,

Gloriā regni tui dicēt, et potentia tuā loquentur. *G. Potentia tuum tuum.* Ut notā faciāt filijs hominū potentia tuā, & gloriā magnificentiae regni tui. *G. Potentia tuum tuum.* Regnū tuū regnū omnium seculorū, et dominatio tua in omni generatione & generationem. *Regnū semper piter num.*

**H**ic enim cursus est vitæ bonorum, ad quæ illi actiones omnes vitæ studiaque conuertunt, cuius causa in illa natura est, quæ tuo Deo beneficio restituta ac spiritu confirmata ad tuā laudē tota fertur, voluntario animi motu abs te adiuta, à quo uti principali causa agitur, ut omni deprauatione superata, eā autoritatē sequatur, quæ perfecta est atque diuina, superior omnibus, quæ naturæ finibus continentur. Hæc

gloria regni tui est, o pater ac domine, ve-  
 r<sup>salm. 44.</sup> totius orbis Deus, veritate, mansuetudine,  
 iustitia illustris, comprehensio bonorum  
 immortaliū, felicitatisq<sup>3</sup>, sempiterna, ad  
 quā desideria bonorum anhelāt & serun-  
 tur, inter ortus occasusq<sup>3</sup>, & dissimilitudi-  
 nem omniū rerum, quae ipsi aut prospera  
 aut aduersa, salutaria aut noxia euenire  
 in vita possunt. Omnia enim quae errore  
 hominum summa existimantur repudi-  
 ant, vt illam regni tui magnificentiam ce-  
 lebrēt & declarent, reijciunt noxia & ex-  
 plodunt, vt eorum sollicitudine liberati,  
 simulachrisq<sup>3</sup>, inanium rerum abiectis,  
 vera dominationis tuae sensu mentes eorū  
 perfundantur. Huius immensitas natura-  
 lem rationem omnem superat, quantum  
 enim est verti animum ad alta, & diuina  
 & immortalia? in quibus Dei regnum, et  
 vberissima ac sempiterna letitia fructus  
 est? disfungi autē ab ijs, quae in terris sunt,  
 & ad ima vergunt, & cōsumuntur, ac de-  
 ficiunt, & salua esse non possunt: hoc  
 enim

enim mundi regnum est, diris & turbu-  
 lentis & prauis motibus atque affectioni-  
 bus plenum, ac cuius nulla pars ab sum-  
 mo exitio libera est, principe satana,  
 quem obnoxij sceleribus sequuntur. Ast  
 tuum ô Domine regnum, omni aterni-  
 tate constat, omnis calamitatis expers,  
 & felicitatis summa sensu refertum, quo  
 salutaris doctrina tua ac voluntas, &  
 qui illam sequuntur, omnium seculo-  
 rum homines continentur, qui designati  
 ad vitam sunt, vnde illis praesidium aduer-  
 sus satanam in vita est, vt demùm gloria  
 diuina in caelo illustrentur. Magno quidē  
 illi dum viuunt in terrore versantur, sed  
 tamen fiduciam suam & salutarem ani-  
 mi constantiam in te defixam tuentur,  
 atque seruant, vt quasi nullus eis sensus  
 sit malorum, Vincunt enim grauita-  
 tem eorum potentia regni tui, eiusque  
 magnificentia tam illustri, vt sempiter-  
 num eius monumentum in cunetis oris par-  
 tibusque terrarum extet. Itaque in

terra gloriã tribuūt nomini tuo, donec æterna & insatiabili specie tuæ diuinitatis in cælo præcepta, gloria regni tui eis plene est apparitura. O regnū fœlicitatis sempiternæ, in quo tu Deus gloria vna sanctorū es, in quo magnificentia tuæ immensitate cerneris coram, et maiestatis diuina lumine refulges. Huius regni admirabilem amplitudinem cum animo intueamur ad cognitionem tuã verso, quid restat? nisi vt profusa ad te venerandū omni cupiditate mentis, supplices & strati, misericordiã tuam imploremus, vt gratia tua, cuius salutaris spiritu omnia cõtinentur, ad eius regni diuini incolatū aditus nobis fiat. Missi abs te in terras, in magna varietate versamur, sed auersa omni grauitate rerū, tua potentia sustentamur. O sp̃e summã nostrã, qua nunq̃ destituentur, qui se Dei præsidio ac fidei commendant. Quoniam

*Iustus.*

Fidelis Dominus in omnibus  
verbis suis, & sanctus in omni  
bus operibus suis,

In

In hoc certè omnis consolatio est iustorū,  
 quod veracia tua promissa Deus, eorūq;  
 infallibilem fidē esse cognoscunt, quæ vitā  
 & actiones piorū tuetur dominatu ater-  
 no, quo si destituerētur, nihil eis reliqui ad  
 salutem fieret, conciderent enim subitò im-  
 pulsi grauisimis euentis, deq; salute despe-  
 rarent, nunc veritate tua nituntur atq; fi-  
 de, & quod ab omni aternitate effectū esse  
 vident, firma assensione fatentur, vt iusto-  
 rū hominum salutem tibi cura esse certò  
 cognoscāt, nec aliter euenire posse cōfidāt.  
 Quam exoptata igitur sors nostrā est, ad  
 sempiternam honorū celestium veritatē  
 percipiendam, & consequendā immorta-  
 litatē vitæ, quæ nos spes abs te o pater ac  
 domine facta nunquā fallit, sanctissime  
 confirmata veritate tua diuina. Quam-  
 obrem inter hominum vitia & culpas, in-  
 terq; grauitatem circumiectorum vndiq;  
 in vita malorum,

Alleuat dominus oēs qui corru-  
 unt, & erigit omnes elisos.

Sustinet.  
 G. Regit,  
 fulcit.  
 Depressos.

**O** admirandam cōuersionem rerum,  
 dignam amplitudine numinis tui,  
 qua iustorum hominum vitā & incolumi-  
 tatem tueris. Et si enim pro uoluntate tua,  
 vita eorum magnis malis sit referta, atq;  
 ipsi in summa perturbatione rerū sic ver-  
 sentur, ut nulla eorum vitæ pars ab agri-  
 tudine vacua sit, proorsus ut iacere, nec ab ijs  
 in qua cōiecti sunt malis assurgere posse ui-  
 deantur, tu tamē potentia tua manu rē-  
 tes sustentas, erigisq; depressos, & agri-  
 tudinum omnium sensum benignitate et mi-  
 sericordia adimis tua, ut inter presentis  
 vitæ mala, inter aduersa & incommoda  
 omnia, opē tuā diuinam sentiāt, eos ab se-  
 culi & malorum iniuria gloriosè tuentē.  
 Itaq; cū premuntur manus, ora, oculos,  
 atq; mentē, ad mite tuum numē attollūt,  
 & inclinatis suis rebus, salutarem opem  
 tuā desiderāt, et anxie requirunt: de qua,  
 fiducia eorum cōfirmata, dubitare nō pos-  
 sunt, quin & illā in vita assequantur, &  
 omnes calamitates effugiāt, aeternū for-  
 tunati

tunati ac fœlices. Erit enim dies, quū de-  
 posito hoc terrestri et caduco corporum do-  
 micilio, in cœlestē animorum sedē feren-  
 tur, atq; ex his tenebris vita, in sempiter-  
 nam lucem excedent, euocati abs te, et ad  
 immortalitatem ab ipsa eternitate desti-  
 nati. Hac summi & exoptabilis boni recor-  
 datio, in animis bonorum, dies & noctes  
 versatur, ex eaque magna læticiæ sensu  
 perfunduntur, quum te consulere non ani-  
 mis solum piorum, sed & corporibus om-  
 nium animantium vident. Atque hac be-  
 nignitate tua diuina inuitati.

Oculi omnium in te sperant do *Omnia vñ-*  
 mine, & tu das escam illorum *uētia opta-*  
 in tempore opportuno. *tis facias.*

Aperis tu manum tuā et imple *G. Bona vo-*  
 omne animal benedictione. *luntate.*

**O**vim summæ ac diuinæ bonitatis ple-  
 nā, quæ sola facit, vt in hac indigen-  
 tia vitæ ac rerum omnia quæ spiritu  
 ac sensu prædita sunt, incredibili spe  
 P 6 imple-

impleatur. vnde enim illis pastus? vnde i-  
seruatio atq; vita? nisi à potentia & benig-  
nitate numinis tui, qui vitale omnibus a-  
nimantibus spiritum præbes, omniumque  
vitas procuratione diuina tueris. Ad hoc  
tuæ voluntati diuinæ omnia obsequuntur  
& operã suam præstant, illa etiam mundi  
magnifica opera ac præclara, solis ac luna  
cursus, ex ijsq; orta vicissitudines tēporū,  
& mutationes, quibus omnia vegetantur,  
& quæ maturitatē adferunt ijs, quæ gignuntur  
è terra, consecratã in omnium sensi-  
bus memoriã beneficentiæ tuæ relinquunt.  
Inest enim omnibus vis tua diuina, quæ gu-  
bernat ac regit, alitq; vniuersa, aperta be-  
nignitatis tuæ manu, vt ad omnium animã  
tuum vtilitatem atq; vsum, lege sempiter-  
na ferantur. Hoc etsi in omnium oculis ver-  
setur, sensibusq; sit impressum, multi ta-  
mē animum non aduertunt, quod enim  
hominum pars agnoscit? teq; & largientē  
bona, auertentēq; mala sequitur? In quo  
malum ingens est, degeneris hominum na-  
tura



ture, sed iusti homines in eo officium faciunt, & ad gratiam tuam promerendam omnia sua studia & vota conuertunt.

Extra illam enim irritos suos conatus, laboresque omnium inanes esse cognoscunt. Cum igitur animis & corporibus, rebusque omnium animantium, innumerabili bonorum prouentu diuinitus prouideri vident, omnem in te spem ponunt, ac salutem suam tibi acceptam ferunt, quam nisi te benedicente nullam haberent. Et si autem aliquando quies ipsorum vite status perturbetur, tamen excelsis animis iudicio voluntatis tue acquiescunt, ac certo euenturum esse sciunt, vt ablato sensu malorum, benedictione celestia tua expleantur. Hac eorum constantia diffidentiam omnem excludit, eaque bene vtuntur, & in ea gloriantur, expectantes liberationem à Deo, cuius veritate ac fide contineri omnia sciunt, quoniam

Iustus Dominus in omnibus  
vijs suis, & sanctus in omni-

bus operibus suis.

**O**spem expectationemq; summam bonorum, quorum omnis conseruatio, ab iustitia diuinae aequitate depēdet, quod quidem fateri omnia in vniuerso debent ac possunt. Quis autem illa iustitia opera enumeret? quae in omnibus rebus elucet, nec vllis ignota sunt, nisi ijs qui expertes omnis religionis, ac ratione omni repudiata, ad bestiarum cōditionem se indignissime abiecerunt. Vellent illi quidem iustitiam Dei rebus humanis non interuenire, propter peccatorū suorum grauitatē, eorūq; seueritatem diuini iudicij extimescunt & horrent, sed eo cōfirmatior fit bonorū spes, quod non inanē operum suorum rationem esse sciunt, sed eorum praclaro fructu laetari possint, Deo omnem pietatis cultum, et si iure, atq; officij lege impensum ipsis iuste remunerante. Tantū enim abest vt abs Deo negligantur vt ad eorundem stabilitendam & conseruandam salutem, omnia in vniuerso comparata sint, ac saepē ordinem

*nem, cursus que suos mutauerint ne ipso-  
rum incolumitati deessent. Hac clemen-  
tia diuina sempiterna lege,*

Prope est Dominus omni- *presens ad-*  
bus inuocantibus eum, in- *est.*  
uocantibus eum in veritate.  
Voluntatem timentium se  
faciet, & deprecationem eor-  
um exaudiet, & saluos fa-  
ciet eos.

*IN quo tanta est admiratio misericor-  
dia Dei, vt ad illam mentes omnium ob-  
stupefiant, consideratione excellentia  
sublimitatisque summa, adeo demitten-  
tis se ad opus suum conseruandum, vt pre-  
senti numine suo, petitionibus suorum ad-  
sit, vt quas ipsi plena, veraque fide pre-  
ces fundunt, eas ita benigne audiat,  
vt nunquam eorum vota irrita sint.  
Sed o nostram amentiam & miseria sum-  
mam, qui vltro oblatam caelitus que de-  
missam vim bonorum, aut increduli non  
adsequi-*

adsequimur, aut impiè excludimus, vt misericordie omnis nostrae à nobis causa sit, quoniam à Deo esse non potest, qui ad eam auertendā, omnem suam confert naturā diuinam, bonitatemq; adiungit. Vnde ergo optem? vnde gratiam in hac imbecillitate rerū petemus? nisi ab illa immensitate Dei omnia praesenti vi sua cōplectente, bonitate incredibili largiente, voluntatemq; suorum ac desideria semper implente. Itaque omnium seculorū homines, qui deum verè & ex animo implorant, praesidium in ipso certissimum habent, qui cū peccatum in omni actione vitae confiteantur & agnoscant suū, nullum tēpus intermittunt, quo non Deum deprecantur, vt eius gratia inter incōmoda vitae securi esse possint. Quāobrem agri delictis ex eo instituto cōualescunt, & p̄sente ipsius ope cōseruātur, cui nihil aduersi obistere potest, vt eā felicitatē iustorū ex diuini nominis inuocatiōe manentē nihil in terris aequare possit. Quāletum enim & omnis molestia expers, &

vera

vera iucunditatis sensu est refertū? in con-  
 spectu Dei se dare? ac demisso corpore et a-  
 nimo supplicem ei fieri, cui res omnes sub-  
 iecta sunt, ac iure esse debent. Hoc sanctum  
 institutum vitæ, certissimam pacem ani-  
 mis adfert, vt presentia non extimescant  
 mala, sperēt futura bona, mitigat eas, qui-  
 bus diuino iudicio obligamur pœnas, atq;  
 vt recta sequamur facit. Sic cū animus  
 excelsus, despiciēque humana prorsus  
 in Deum est intentus, in eo vno cōquiescit  
 & exultat in finitæ fœlicitatis sensu sem-  
 per abundans. Ad hanc beatā sortem ferū-  
 tur iusti, consequunturq; illud, vt actiōes  
 omnes eorum gubernet ac fortunet Deus.  
 Atq; vtinam de tua clementia ô Domine  
 paterq; cœlestis mihi contingat, vt debito  
 tibi cultu & obseruantia, inuocare in veri-  
 tate sanctissimū ac venerandū nomen tuū  
 possim. Quod vt fiat precibus omnibus oro,  
 ac te, cuius numinis amplitudo vltra omnē  
 naturam rerum se extendit, inq; omnia  
 diffundit, plena iustaq; fide deprecor, vt in  
 hac

hac vastitate rerum ac vitæ, diuinum in-  
 telligentia tua lumen præferas mēi mea,  
 vt rectā atq; veram promerēda misericor-  
 dia tua, & quā tu probas viam ad extre-  
 mū vsq; spiritum sequar. Ac si quando me  
 mala mens abs te auertet, tū vt benignē  
 me gratia ad te reducat tua, nec vnquam  
 deserat, sit supplici mihi semper apud te ve-  
 nia & clementia locus, vt lenias mala, &  
 meritas poenas remittas. De vitæ alimēta  
 & præsidia, & exoptatā nostram sp̄, sem-  
 per præsens summa cum nominis & maie-  
 statis tua gloria ita impleas, vt quum per-  
 actō peregrinationis meæ decursu, euoca-  
 tus abs te, ex hoc lachrymali diuersorio ex-  
 cedā, inter cœlestes mentes te semper vene-  
 rans & laudans contemplatione maiesta-  
 tis tuæ ad omnem eternitatem fruatur. Hoc  
 meæ voluntatis desiderium est atque vo-  
 tum, quo te anime mi, sublato ad Deū et  
 humana despiciētia sensu inter omnia con-  
 firma. Vnum enim hoc pro quo ei suppli-  
 ces ad salutem reliquum habes, quoniam  
 Custodit

Custodit Dominus omnes  
diligentes se, & omnes pec-  
catores disperdet.

Tuetur.

**H**æc bonorum ac malorum fata sunt,  
quid enim aut dici veriùs aut con-  
firmatiùs esse in omni natura potest?  
quam Dei amantes homines, & quo-  
rum desideria in eum defixa sunt. Dei cu-  
stodia contineri? vt eorum salutem nul-  
lus interrumpat mœror, nulla labefactet  
calamitas, nec quicquã obstet quo minùs  
semper et perpetuò sint fœlices. Malos con-  
trà, qui illam excludunt summi boni lu-  
cem, incidere in tenebras malorum sem-  
piternas, ac disperdi à Deo, funditusq;  
euerti, vt spoliati omnibus bonis aternùm  
infœlices sint atq; miseri. Hanc æquitatē  
& iustitiã summã dei agnoscunt ac prædi-  
cant boni, sed eam contemnunt, deq; ea du-  
bitant mali, eoq; tam dissimilia vtrorum-  
q; fata sunt, vt et illorum salutis, & ho-  
rum exitij vniuersum ordinem rerum  
testē

testem habeamus. Quam diuina aut, & admirationis summa plena ratio est? bonorum vitam in labore & mœrore esse, ut in officio retineantur? quibus demum mors, & finis malorum, et bonorum initium sit, ac sempiternam adferat quietem, malos contra in vita delicijs affluere, sed tamẽ eorum vitam reuera miseria plenam esse, quam non morte corporis finiatur, sed ab ea, o longẽ sortem in immensum augeatur.

Lugeant igitur, atq; in mœrore assiduo sint peccatores, quos & damnationis metus, & imminentium pœnarum terror & conscientie vulnera sequuntur & exagitant. iusti verò futura gloriæ spe confirmatis animis, letitia redundant, quoniam defensio eorum diuina, nullis seculis terminabitur, & ad omnẽ se aternitatem extendet. Hac contemplatione fruens, & voluptate perenni gestiens,

Laudationẽ domini loquetur  
os meum. Et benedicat omnis

caro



caro nomini eius sancto in se-  
culum, et in seculum seculi.

**C**um enim in terris Dei contineamur  
rutela, ac post exantlatos labores vi-  
tae premium caelestium immensa vis no-  
bis diuinitus designata sit, illud superest,  
vt Dei erga nos benignitatem semper  
pradicemus, eiq; gratias agamus, quonia  
eius ope diuina omnes superabimus mise-  
rias vite, quod quidem omnes homines,  
ac quibus sensus aliquis inest agnoscere  
debent, & venerari eum quo adiuuante,  
ea quacunque volent & optant conse-  
quuntur. Hoc enim vnum illi caelesti parenti,  
autorig, aeterno rerum, & erga omnia  
incredibiliter benigno debetur. At quan-  
tulum illud est, quod Deo offertur & pra-  
estatur? vt pudere omnes debeat, qui  
impia officij & religionis neglectione di-  
uinis laudibus defunt: quam obrem in ijs,  
quae iustos manent bonis, nulla eorum par-  
tes erunt, nec viuorum nec mortuorum,  
quoniam enim tota vita Dei nomini con-  
tumelia

tumeliam fecerunt, nec ei gloriam tribu-  
 erunt, eandem etiam inter infernales cru-  
 ciatus malignitatem retinebunt. Ab hac  
 fera immaniq; natura, vtinam omnium  
 se mentes segregent, offerantq; dignum  
 Deo honorem, id quod fiet, si positus dissi-  
 dijs de rebus diuinis, recta in Deum &  
 homines voluntate, ad Ecclesie Catholi-  
 cae & Apostolicae dei domum, vnde summa  
 cum offensione discessum est, reuersio fiet,  
 vnde pax ciuiliū rerum, ac populorum  
 nominis Christiani quies sequetur, respici-  
 etq; nos benignis oculis Deus, omnium stu-  
 dy ad se colendum & celebrandum con-  
 uersis. Hoc DEI à nobis postulat timor,  
 nec si ab eo deflectemus, quicquam pro-  
 derit nobis, irrita omnia alia praesidia  
 ad salutem comparata erunt. Quae enim  
 in dissensione vera laus Deo tribui potest?  
 coniunctione cum homine Dei, & homi-  
 num inter se charitate & amore violato?  
 quae vtraque cum sanctissimis vinculis  
 consociata velit ac iubeat Deus, vt ijs  
 omnis

omnis vita regatur, sine nefario peccato,  
penaque summa dissolui non possunt. *Ad Ro. 14.*

Quamobrem ad Dei regnum in quo iu-  
stitia & pax, & gaudium in spiritu san-  
cto est, vertenda omnium mentes sunt,  
persequendaque ea, quae ad pacem sunt,  
ut vno animo, vnoque ore benedicat om-  
nis caro nomini sancto Dei in seculum &  
in seculum seculi. Quoniam ergo pater coe-  
lestis ac Domine mi Deus ac rex, om-  
nia mortalia, ac quibus abs te sensus da-  
tus est, tibi laudem atque gloriam,  
quantacunque vnquam exhiberi potest,  
debent, ego, etsi cinis sim atque puluis,  
tamen excitatus tuo spiriritu, maiestatis  
tuae sancto nomini, benedicam tota vi-  
ta, ac te misericordiae tuae lumen menti  
meae praeferebam, in aeternum laudans  
& exultans predicabo, cuius aeterna cle-  
mentia amplexus & exceptus diuina  
gloria saluteque vera fruam. Quan-  
tum igitur deinceps vitae, fauore  
coelesti tuo, concessum mihi erit,  
terti

totum hoc in veneratione nominis tui po-  
nā. & ad te regem sempiternum & omni-  
um parentem celebrandum, voto obstri-  
ctus, consilium vite & omnem animi sen-  
sum cogitationemq; conuertam.

Meditationis in Psalmum  
CXLIIII. finis.

Gratiarum actio Deo.

**A** Eterne rector omnium,  
Cuius potestas aethere,  
Maiestas & terris patet,  
Nec vllis oris clauditur.  
Te voce perenni mea  
Laudans, & adorans colam,  
Et in mortali corpore  
Cantabo nomini tuo.  
A tristibus tandem liber  
Curis, o speratum diem,  
Caelo receptus, numini  
Grates tuo semper feram.

FINIS.